

8.54.11

*Idem AA. et CC. Septimio Sabiniano.*

Cum de bonis tuis partem quidem penes te retinuisse, partem vero in eum quem in potestate habes donationis titulo contulisse commemores, non est incerti iuris in eum, qui in sacris familiae tuae remanet, destinationem magis paternae voluntatis factam, quam perfectam donationem pervenisse.

1 ¶ Delegationes autem nominum in emancipatum collatae perfectam donationem efficiunt.

*S. prid. k. Mai. Heraclea AA. consss.*

[a. 293]

8.54.12

*Idem AA. et CC. Aurelio.*

Portionem propriam rebus necdum divisis nemo prohibetur titulo donationis in alium transferre.

*D. XVII k. Iun. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.13

*Idem AA. et CC. Uraniae.*

Si aliquid per epistulam donatum tibi probetur, brevitas chartulae donationi, si haec recte facta probetur, nihil quicquam derogat.

*D. XV k. Iun. Sirmi AA.. consss.*

[a. 293]

8.54.14

*Idem AA. et CC. Idaeae.*

Si filius tuus res ad te pertinentes sponsae suae te non consentiente donavit, ad eam quod non habuit transferre non potuit.

*S. XV k. Oct. AA. consss.*

[a. 293]

8.54.15

*Idem AA. et CC. Severae.*

Aeris alieni, quod ex hereditaria causa veniit, non eius, qui donationis titulo possidet, sed totius iuris successoris onus est.

1 ¶ Si itaque nemini obligata praedia pro donatione consecuta es, supervacuum geris sollicitudinem, ne vel heredes donatricis vel eius creditores te iure possint convenire.

*S. XV k. Dec. AA. consss.*

[a. 293]